

ci, quô statuitur aliquid licitum esse, sed ob scrupulum non facile agendum, cùm hic anxiam reddat conscientiam.

§. 30. Facile ex his patet, cur hæc conscientia dicatur scrupulosa, nempe à scrupulo: sicut enim scrupulus propriè est lapillus exiguis & asper in calceō latens, qui, licet homo progrederetur, pedem tam enlatit & vexat; ita tropicè notat in animo solicitudinem, aut suspicionem, quâ animus pungitur & cruciatur, ut licet assentiatur uni parti quæstionis, tamen ex solicitudine existimet, fortè oppositam veriorem, adeoque id, cui assentitur, non facile agendum esse.

§. 31. Hujusmodi scrupuli oriuntur vel de factis, e.g. an quis rectè functus sit officio, vel de faciendis, de quibus in primis h. l. sermo est.

§. 32. Si quæratur, unde oriantur hi scrupuli? Resp. non una est eorum origo. Quandoque scrupuli injiciuntur animo à dæmone, maximè quando aliquid, quod vel in honorem DEI vel salutem proximi vergit, faciendum est: quandoque nascuntur scrupuli ex imbecillitate capitis, quandoq; ex malâ corporis constitutione, quandoque ex animi infirmitate, quandoque ex inficiâ, quandoque ex hominum scrupulosorum consortiō, & si quæ aliæ causæ esse possunt.

§. 33. Si quæratur porrò, quomodo scrupuli animum vexantes eximendi sint? Nonnulli existimant id fieri posse commodissimè, si in primô statim accessu suffocentur & supprimantur, quod licet admitti posfit, ubi scrupulus non est rationabilis, tamen consilium hoc non per omnia salutare est: accidit enim quandoque, ut scrupulus sit rationabilis & alicujus momenti, qui non insuper habendus est, aut statim supprimendus. Alii rectius suadent, ut (1) si scrupulis vexatus sit sub aliquo superiore rerum peritō, ad cuius nutum vivere tenetur, posthabitis scrupulis sententiam superioris sequatur, sicut unus ex Bernhardi discipulis adeò scrupulis in animo vexatus fuit, ut officiō sacrō fungi non potuerit: Cùm vero Bernhardus juberet, ut officiō fungeretur, ei obedivit hic inferior, & à scrupulis liberatus fuit. (2) qui scrupulis in animo suo angitur, utatur boni, periti & exercitati viri consiliō, neque suo se judicio planè permittat, utpote sapientius fallaci: (3) etiam desinunt scrupuli, si homo sapientius contra eos aliquid faciat, probabili ratione motus, aut si res ipsa, de qua scrupuli oriuntur, à Deo mandata vel instituta sit, e.g. si inter preces, quas homo ad Deum fundit, subinde oriuntur peregrinæ aut impiæ cogitationes, scrupulus oritur, an quis h. m. licet ad Deum orare queat? hīc contra tales scrupulum aliquid faciendum,

B

preces